



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 4. Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant aut ad singulos status de quibus in præcedentibus quæstionibus tractatum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

admodum una, eademque visione corporea censetur oculi videre obiectum, quod in eorum prospectu continuo, & successivo motu mouetur, tamen talis visio singulis momentis temporis diuersa sit physice quatenus ex diuersis distantiis, perque diuersas lineas tendit in illud. Quo etiam pacto exponi possent Theologi, & Patres, dum scientiam diuinam de vnaquaque re contingente eandem semper, & inuariabilem prædicant. Nihilominus ego in re tam graui non audeo huiusmodi limitationes appingere vniuersalibus loquutionibus Patrum, & Theologorum absolute, & sine limitatione assentientium tanquam quid certum, scientiam Dei decursu temporis neque augeri, nec minui posse, nec variationem ullam pati. Quare, malo suspensio iudicio veritatem à Doctoribus mihi tradendam expectare, quam meis argumentis forè delusus, de noua notitia decursu temporis acquisita præsumere; persistens interim in propositione ex eorundem Patrum, & Theologorum concordia sententia supra statuta. De qua plura dicenda venient in *Tracl. de scientia.*

125 Restat nunc, vt pro tertia quæstionis parte breuiter adnotemus. Primò futuritionem, præsentiam, atque præteritionem rerum aliam absolutam, aliam conditionatam esse: quia omnis status existentialis, siue conditionatus, siue absolutus, rursus in statum futuritionis, præsentia, & præteritionis diuidendus venit; eo quod quidquid quoquo modo existit, in aliquo tempore existat, necesse est. Omne autem tempus, vel futurum esse debet, vel præsens, vel præteritum.

126 Secundò. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum siue absoluta, siue conditionata, alia contingens est, alia necessaria: quia non solum, quæ contingenter, sed etiam, quæ necessariò existunt eas tres differentias, statumque existendi subire possunt, siquidem prout existentia, seu potius prout exitura in tempore futuro dici possunt futura, & præsentia prout in præsentia, & præterita prout in præterito.

127 Tertiò. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum aut positiua esse potest, aut negatiua: erit positiua, si rei positiua conueniat; negatiua autem, si negationi; sed de hoc plura dicemus quæst. sequenti.

128 Quartò. Futuritio, & præteritio rerum aut determinata, aut vaga potest esse; idque, vel ex parte ipsarum rerum futurarum, aut præteritarum; vel ex parte temporum, in quibus illa sunt futura, aut præterita. Erit ex parte rerum determinata, si res futura, aut præterita determinata sint: vaga autem, si vaga, iuxta dicta de rebus, siue de veritatibus rerum vagis quæst. 2. Ex parte autem temporum determinata erit, si mensura temporum, in quibus res dicuntur futura, aut præterita determinata fuerint; vt cum dicimus: *vigesimo ab hinc die erit pluuia: Trigesimo ab hinc retro anno natus est Petrus.* Vaga verò cum tales mensura vagæ fuerint, vt si dicamus: *aliquo subsequenti anno natus est Antichristus: in aliquo præcedenti annorum natus est Christus.* Pariterque in similibus.

QVÆSTIO IV.

Quanam veritates obiectiua in speciali pertineant ad singulos status, de quibus in præcedentibus quæstionibus tractatum est.

Pro resolutione huius quæstionis supponendum 219 est primò. Nos cognoscentes per species alienas multos conceptus obiectiuos habere posse, quos cognoscentes per proprias non possunt habere: quia quod cognoscitur per propriam speciem per se, & in se cognoscitur, indeque fit, vt non possit non habere obiectiue in mente cognoscentis idem omnino esse, quod de suo, siue quiditatiue habet re verà in se. Quod verò cognoscitur per speciem alienam, per alienum substitutum, siue in alieno substituto cognoscitur, atque adeò aliud est obiectiue in mente cognoscentis ab eo, quod re ipsa est in se. Vnde sequitur, à cognoscentibus per proprias species multa non esse conceptibilia, eo quod de suo, & in se re verà nullum esse conceptibile habent; quæ tamen à cognoscentibus per species alienas conceptibilia sunt; eo quod in alieno substituto esse aliquod obiectiuum, atque adeò conceptibile habere possunt, quod non habent in se, prout latè disputatio 2. quæst. 3. ostensum est. Ex quo rursus efficitur, vt à cognoscentibus per species proprias nullatenus possint concipi identificata extrema, quæ in se, & de suo distincta sunt; pariterque nullatenus possint concipi distincta extrema, quæ in se, & de suo sunt vnum, & idem. Cum tamen à nobis per species alienas passim concipiantur identificata, & adunata extrema, quæ in se sunt distincta, & plura, distinctaque vice versa, & plura, quæ in se sunt idem, & prorsus vnum, vt constat ex dictis loco citato, ampliusque constabit ex dicendis disp. 13. quæst. 9. & seqq. Similiter negationes rerum per proprias species concipi nequeunt; bene tamen per alienas, quia nullum esse habent in se conceptibile, bene tamen in substituto alieno, vt vidimus disputatio 9. quæst. 3.

Secundò supponendum est, iudicium negatiuum 250 cuiusuis intellectus in recessu quodam à re, quæ negatur consistere, vt explicauimus disp. 2. quæst. 4. Vnde necessario supponit apprehensionem rei, quæ negatur, iuxta ibi dicta. Ex quo fit, id solum à quouis intellectu negari posse iudicio negatiuo, quod ab eodem apprehendi, siue concipi potest; atque ita, quæ à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibilia, iuxta suppositionem primam, non solum non affirmatiue; sed neque negatiue sunt ab ipsis iudicabilia: tamen à cognoscentibus per species alienas vtroque modo iudicabilia sunt, eo ipso, quod ab ipsis conceptibilia sunt.

Ex his supponendum est tertiò. Ea solum obiecta, quæ à cognoscentibus per species proprias sunt verè iudicabilia affirmatiue, aut negatiue, habere in se re ipsa veritatem obiectiuam, aut positiuam, aut negatiuam. Cætera autem, quæ à cognoscentibus solum per species alienas insuper sunt verè iudicabilia eatenus solum censeri vera obiectiue, quatenus aliis obiectis æquivalent, aut ea supponunt, quæ veritatem obiectiuam habent in se. Quoniam sola obiecta prioris generis habent in se re ipsa esse verè affirmabile, aut non esse verè negabile. Cætera verò tantum habent esse, aut non esse in alieno substituto

stituto obiectiue; atque adeo non propter *esse*, aut *non esse*, quod illa habent, sed propter aliud, quod supponunt, aut cui æquivalent, censetur verè affirmabilia, aut verè negabilia. Pro exemplo obiectorum prioris generis sint hæc: *Petrus existit: Ioannes non existit: Homo est rationalis: si existeret ignis, existeret calor. Si Petrus vocetur, respondebit. Si non existeret causa, non existeret effectus*, &c. cetera huiusmodi. Pro exemplo autem obiectorum posterioris generis sint hæc: *Negatio Petri existit: Petrus est cæcus: Petrus non est lapis: Impossibile est, Petrum esse lapidem: Si Angelus esset homo, esset risibilis: Si attributa Dei essent realiter distincta, non essent infinitè perfecta*; &c. similia. Priora enim obiecta à cognoscentibus per proprias species iudicabilia sunt, ut sonant, aut affirmatiue, aut negatiue, iuxta vniuscuiusque naturam. Posteriora verò non item, sed tantum à cognoscentibus per species alienas. Cognoscentes namque per proprias species omnium rerum tam non existentium, quam existentium concipiunt existentias, dum res ipsas concipiunt, utpote indistinctas realiter ab ipsis rebus; atque ita optime possunt iudicare, tum res existere, quando existunt, iudicio affirmatiuo; tum res non existere, quando non existunt, iudicio negatiuo; idque aut absolute, aut conditionate, iuxta modum, quem illæ habent existendi, aut non existendi. Similiter, & ob eandem rationem possunt affirmare de rebus omnes veritates quiditatiuas earum, utpote ab ipsis indistinctas; negatiuum verò veritatem ad statum rerum quiditatiuum pertinentem nullam iudicare possunt iudicio negatiuo, cum ea in negatione identitatis extremorum distinctorum deberet vnicè consistere, iuxta dicenda postmodum, quam ipsi concipere nequeunt, iuxta *suppositionem primam*. Quo fit, ut neque iudicare possint obiecta secundo loco pro exemplo proposita, quæ huiusmodi identitatem inuoluunt; licet neque, quæ inuoluunt distinctionem extremorum identifierum realiter; neque, quæ inuoluunt negationem per modum entis positiui. Quæ tamen à nobis cognoscentibus per species alienas in alienis substitutis iudicabilia sunt. Et quidem verè ob veritates aliorum obiectorum, quibus æquivalent, aut quas supponunt, & quæ à cognoscentibus etiam per species proprias verè sunt iudicabiles. Nimirum obiecta illa: *Negatio Petri existit: Petrus est cæcus*, vera censentur; quia æquivalent his, quæ in se sunt vera: *Petrus non existit: Petrus non videt*, & illa: *Petrus non est lapis: impossibile est, Petrum esse lapidem*, vera censentur, quia æquivalent his veris in se: *Petrus distinguitur à lapide: Petrus, & lapis necessario distinguuntur*. Illud autem: *si Angelus esset homo esset risibilis* verum censetur, ob veritatem hanc, quam supponit: *Omnis homo est risibilis*, & illud: *si attributa Dei essent realiter distincta, non essent infinitè perfecta* verum censetur à veritate hac, quam supponit: *Attributa Dei à sua identitate habent infinitatem perfectionis*. Pariterque de aliis similibus philosophandum est.

²³² Ex quibus sequitur, supponendum quartò, præter status rerum reales, de quibus, ut talibus in præcedentibus questionibus tractatum est, dari insuper status quosdam supposititios oriundos à nostro intellectu, ad quos pertinent obiecta illa, quæ à nobis cognoscentibus per species alienas conceptibilia, atque adeo iudicabilia sunt; non itidem à cognoscentibus per proprias species, tametsi obiectiue veritates ab his cognoscibiles, ob quas censentur illa vera, aut per æquivalentiam, aut aliter, reales sint, ad statumque subinde reales suprædictos pertineant

²³³ Quando supponendum est. Quando ad aliquem statum siue realem, siue supposititium, duplex genus obiectorum spectat, politiuorum scilicet, qualia sunt, quæ terminant iudicia affirmatiua, & negatiuorum, qualia sunt, quæ terminant iudicia negatiua; tunc talem statum in duo etiam membra intra proprium genus venire diuidendum, nimirum in positiuum & negatiuum. Quandoquidem huiusmodi status aliud non sunt, ut constat ex sæpe dictis in *superioribus* à conceptibus obiectiuis, qui ad illos pertinere dicuntur. Sic status existentialis tum conditionatus, tum absolutus in positiuum, & negatiuum est diuidendus; & alij similiter. Quomodo autem sola obiecta, quæ ad status reales pertinent, realem veritatem habeant in se aut positiuam, aut negatiuam; non verò itidem, quæ pertinent ad status supposititios, ex dictis *suppositione tertia* constat.

Proposio 1.

²³⁴ Ad statum rerum existentialem absolutum multæ obiectiue veritates, multæque obiecta vera in se pertinent; necnon alia quadam, quæ tantum per æquivalentiam vera censentur.

Loquor de statu existentiali absoluto comprehendente sub se tum positiuum, & negatiuum; tum realem, & supposititium; tum status futuri, presentis, atque præteriti. Et probo propositionem discurrendo per singulos, & vnicuique assignando sua obiecta, siue obiectiue veritates.

²³⁵ Primo enim omnes veritates existentiales positiuæ, & absolutæ, quas omnes res positiuæ habere censentur; hoc ipso, quod absolute existunt in rerum natura, ad statum realem existentialem positiuum, & absolutum pertinent, ut est notissimum ex se, & ex dictis. Quid autem sit, res existere in rerum natura, ex dictis *q. 1.* constat. Omnes autem huiusmodi veritates aut de futuro, aut de presenti, aut de præterito posse esse; necnon, aut contingentes, aut necessarias, ex dictis *q. 3.* liquidum est.

²³⁶ Secundo ad statum existentialem realem negatiuum, & absolutum omnes illæ veritates pertinent quas omnes res absolute non existentes prout tales habere dicuntur. Quoties enim aliqua res absolute non existit in rerum natura, à parte rei est obiectiue verum, ipsam non existere, utpote iudicabile verè iudicio negatiuo, non solum à nobis, sed etiam à cognoscentibus per proprias species, iuxta dicta *suppositione tertia*. Huiusmodi autem veritas obiectiua existentialis negatiua dicenda venit, quatenus per eam rei existentia negari, seu non esse, seu deficere dicitur. Ad statumque subinde pariter existentialem, & negatiuum pertinet. Tot igitur ad talem statum veritates huius generis pertinere dicenda sunt, quot sunt res non existentes absolute in natura rerum. Quæ itidem eatenus aut de futuro, aut de presenti, aut de præterito esse possunt, quatenus res aut de futuro, aut de presenti, aut de præterito possunt non existentes esse. Nam, ut verum positiuum est de futuro quidem rem fore, de presenti autem rem esse, & de præterito rem fuisse: Ita similiter verum est negatiue de futuro quidem, rem non fore, de presenti autem, rem non esse, & de præterito, rem non fuisse.

²³⁷ Nec refert, negationes rerum à parte rei prorsus esse nihil, quia ratione *disp. 9. q. 3.* explicatum à nobis est; quominus veritates negatiue prædictæ dicantur aut reales esse, aut à parte rei dari suo modo. Quoniam ad id non opus est, quod sit aliquid à parte rei, sed potius, quod non sit, seu, quod sit nihil, iuxta

Disp. X. De variis statibus rerum. Quæst. IV. 261

iuxta dicta latius *ibidem*. Vbi etiam diximus, huiusmodi negationes, seu negativas veritates per modum rerum positivarum concipi à nobis, atque ita affirmatiue iudicari; & quidem verè per quamdam æquivalentiam, qualiter à cognoscentibus per proprias species neque iudicabiles, neque conceptibiles sunt. Vnde fit tertio, eas prout sic conceptibiles, & iudicabiles ad statum quemdam existentialem pertinere absolutum, & positium non reale, sed supposititium, vtpote oriundum à nostro modo intelligendi per species alienas, iuxta *superius* dicta. Quomodo ad statum negativum supposititium pertinent quartò negationes chimerarum à nobis solum per species alienas conceptibiles; secus à cognoscentibus per proprias tales enim negationes non dantur re ipsa, nec habent in se veritatem, sed ab aliis obiectis in se veris censetur illam participare, vt etiam ex dictis in *superioribus* notum est.

238 Porro huiusmodi veritatum re ipsa negativarum, & prout à nobis solent concipi supposititiè positivarum alia contingentes sunt, alia necessaria. Contingentes quidem, quæ negant, excludunt, seu remouent ab existentia res contingentes; necessariae autem, quæ impossibiles, vt sunt omnes chimeræ in se conceptibiles, iuxta dicenda *disp. 11*.

239 Sed dubitari hic poterit: an quando res existens est in vno tempore, & non in reliquis, in his dicenda sit dari re ipsa veritas negatiua, siue negatio, operta existentia eius? Negant nonnulli Recentiores contra omnium existentionem communem, ob id asserentes, hodiè non dari negationem existentia Antichristi, sed tantum negationem hodiernæ durationis eius, (quam tali existentia superadditam esse supponunt) & in cæteris pariter. Sed dicendum omnino est: quo tempore res non existit, veritatem negativam dari oppositam non solum durationi pro tali tempore, sed etiam existentia eius; quantumuis ea in tempore posteriore sit exitura; aut exiterit in priore; idque siue res suapte essentia affixa sit tempori, in quo existit, impotensque subinde existere in alio, in quo non existit, siue sit, indifferens ad existendum in quouis tempore, atque ita per durationem sibi accidentaliter superadditam existens in eo in quo existit, potensque pariter existere in eo in quo non existit.

240 Itaque hodiè non solum datur, siue existit negatio durationis hodiernæ Antichristi (qua ratione negationes per quamdam æquivalentiam cum veritate dici possunt dari, aut existere, iuxta doctrinam commemoratam nuper ex *disp. 9. quæst. 3.*) sed etiam datur, siue existit negatio existentia Antichristi, nec non negatio existentia durationis, quam Antichristus est postea habiturus in suo tempore affixa essentialiter ipsi tempori. Tantumdemque venit dicendum de negationibus cæterarum omnium rerum, & durationum hodiè non existentium, quæ postea sunt exiturae, vel antea exiterunt. Supponimus enim cum Recentioribus præfatis, res indifferentes ad existendum in quouis tempore per durationes superadditas determinari ad existendum in singulis temporis mensuris. Durationes autem per se ipsas, adeo, vt vnaquæque propriæ mensuræ sit affixa, neque in aliâ existere possit, vt pluribus ostendimus *supra loco*.

241 Igitur probatur imprimis assertum de negationibus rerum. Quoniam Antichristus postea exiturus hodiè simpliciter non existit in rerum natura: quia neque existit in suo tempore, eò quòd tale tempus nondum accessit, atque ita hodiè simpliciter existens non est; neque existit in tempore hodi-

no, aut in alio quopiam, vt constat. Ergo existit hodiè negatio eius; rem enim simpliciter non existere, & negationem eius existere prorsus est idem.

Dicent: Antichristum eo ipso, quòd sit exiturus 242 in suo tempore futuro, simpliciter non deficere à rerum natura; atque adeo ex deficientia eius à tempore hodierno non bene argui existentiam negationis eius in tempore hodierno; sed tantum existentiam negationis durationis eius hodiernæ; quemadmodum ex deficientia, qua Papa deficit à Compluto, non bene inferitur, Compluti existere negationem existentia Papæ, sed tantum, Compluti existere negationem præsentia reddentis Papam præsentem Compluto. Hoc locorum, præsentiarumque localium exemplum decepit Recentiores, quasi de temporibus, & durationibus eis respondentibus perinde, quod ad rem attinet, atque de locis, & præsentia eis respondentibus philosophandum sit: quod palam falsum est; eò quòd loca, & præsentia eis respondentibus permanentes sunt in existendo natura sua; cum tamen tempora, & durationes eis respondentibus sua natura in existendo sint successiua. Hinc namque nascitur, vt licet Papa deficiat modò ab hoc loco, simpliciter modò non sit deficiens: quia simpliciter est modò existens in loco Romano. Quo fit, vt negatio existentia eius in hoc loco modò non detur, sed tantum negatio præsentia eius respondentis huic loco. Cum tamen Antichristus eo ipso, quòd deficit modò ab hoc tempore, non possit non simpliciter esse modò deficiens: quia in nullo tempore modò est existens simpliciter; fore enim vt existat in tempore futuro modò non existente, non est habere illum existentiam simpliciter, sed fore vt habeat postea. Quo fit, vt existentia Antichristi nequitiam possit ab hodierno die deficere, quin à tota natura rerum sit hodiè deficiens simpliciter, subindeque, quin hodiè existat negatio eius, & non solum negatio durationis eius hodiernæ.

Quam autè doctrina hæc vera sit ab absurdis, quæ 243 ex opposita Recentiorum sequuntur, manifestè probatur. Primo enim sequitur ex illa, Christum verè non fuisse mortuum: quia vera mors conceptione omnium in corruptione, seu desitione vnionis animæ, & corporis consistit. Vnio autem animæ, & corporis Christi iuxta Aduersarios nec fuit corrupta, nec verè desinit esse, seu existere; sed tantum negata sunt ei durationes sequenda post ultimam sub qua durauit. Secundo sequitur, nullam creaturam à se productam annihilare posse: quia nulli potest negare existentiam, quam semel concessit; sed tantum superadditas durationes; annihilatio autem secundum omnes absque negatione, siue desitione existentia rei annihilata stare non potest. Tertio sequitur, Mundum nunquam caruisse existentia, quæ modò habet, sed tantum caruisse durationibus præcedentibus primam, quam habuit; Siquidem caruisse Mundum existentia toto tempore antequam caperet durare, & toto eodè tempore extitisse negationem existentia eius idem omnino est, vt constat; & iuxta Aduersarios toto eo tempore negatio existentia mundi non extitit; sed negatio solum durationis eius pro illo. Hinc autem contra scripturam sequitur; Deum Mundum in principio non creauisse: quia creare quidpiam in tempore, siue illud producere ex nihilo, idem est, iuxta omnium mentem, atque dare illi existentiam, qua penitus antea carebat. Quarto denique sequitur, vt innumera alia absurda præteream, gratiam ab animâ non expelli per peccatum mortale: quia nec gratia, nec eius vnio cum anima desinit esse, iuxta Aduersarios; sed

tanquam

tantum vteriores durationes eius impediuntur.

244 Ex quibus omnibus concluditur, in quocunque tempore non existunt res indifferentes ad existendum in quouis tempore, ibi negationem non solum durationis, sed etiam existentiae earum existere, quantumvis illae sint extituae in tempore subsequente, aut in antecedente extiterint. Id, quod similiter venit probandum de durationibus rerum, quae sua natura quoad existentiam propriis mensuris temporum affixae sunt.

245 Sed dices. Negatio ibi solum dici potest per aequivalentiam existere, unde excludit rem, quam negat inde autem excludit, ubi existeret res negata, si existeret. Ergo neque negatio existentiae, neque negatio durationis futurae Antichristi dici potest existere hodie: quia neque Antichristus, neque eius futura duratio existerent hodie per se, casu quoddam hodie existerent; sed per superadditam durationem, cum neutrum eorum suapte essentia sit existentia hodierna, ut constat. Unde concluditur neque Antichristum, neque eius durationem futuram deficere ab hodierno die per se, seu per defectum proprium; sed tantum per defectum hodiernae durationis suae. Quod ipsum est; huius dumtaxat negationem, non item negationem illorum existere hodie. Respondeo, negationem duplici titulo esse posse in aliqua temporis mensura. Primo, quia inde excludit per se rem negatam. Secundo, quia intime connectitur cum negatione durationis, quam res negata haberet in ea mensura, si existeret. Quamvis autem negatio Antichristi, & negatio durationis futurae eius non existant hodie primo titulo: quia non excludunt per se rem negatam ab hodierno die, sed media alia negatione durationis hodiernae eius, existunt tamen hodie secundo titulo: quia intime connexae sunt cum dicta negatione durationis hodiernae rei negatae. Verum de his plura alibi suo loco dicenda sunt ubi de duratione rerum, atque etiam negationum tractare sumo ex professo.

Propositio 2.

246 Ad statum rerum quiditativum absolutum multae obiectivae veritates, multae obiecta vera in se pertinent; necnon alia quaedam, quae per aequivalentiam tantum, aut aliter, quam a veritate propria vera censentur.

Loquor de statu quiditativo absoluto complectente tum realem, tum suppositivum, tum positivum, tum negativum, tum rerum impossibilem, tum possibilem. Et proba propositionem dicendo per singulos, & vnicuique assignando sua obiecta, siue obiectivae veritates.

247 Primo enim ad statum quiditativum absolutum realem, & positivum pertinent omnes obiectivae veritates, quae rebus positivis, & possibilibus necessario conveniunt cum praecisione ab existentia, quales sunt, quae ad earum essentiam, aut passiones, vel proprias, vel communes spectant, ut: homo est rationalis; homo est risibilis. Triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis; & similes. Pertinent itidem ad eundem statum veritates similes obiectivae pariter convenientes chimeris impossibilibus positivis, quae in se ipsis, atque adeo a cognoscentibus etiam per species proprias sunt conceptibiles, iuxta dicenda diff. 11. Nam, & istae chimerae habent in se, & de suo essentias, passionesque iudicabiles vere: quod ipsum est habere illas in se dictas obiectivae veritates ad dictum statum pertinentes. Sunt autem huiusmodi sae. Secundus Dens chimericus est omnipotens;

Peccatum Deo impossibile rationi est dissonum; Calfactio orunda a frigore est impossibilis; & aliae id genus.

248 Secundo ad statum quiditativum absolutum, suppositivum, & positivum illa spectant obiecta, quae cum sint necessario vera cum praecisione ab existentia, in se tamen conceptibilia non sunt; sed tantum in substitutis alienis, atque adeo non a veritate propria sunt veras, sed a veritate aliorum, quibus aequivalent, aut quae supponunt, iuxta doctrinam suppositam num. 229. & seqq. sunt autem huius generis imprimis illae obiectivae propositiones, ubi de negationibus positivae conceptus aliquid affirmamus vere cum praecisione ab existentia, ut in his: negatio Petri de se est nihil. Negatio Petri distinguitur a negatione Pauli Pauli: negationes Petri, & Pauli sunt similes; sunt possibiles; & in aliis huiusmodi. Tum etiam illae obiectivae propositiones, ubi chimeris positivis non in se ipsis; sed tantum in substitutis alienis conceptibilibus, iuxta dicenda disputatione 11. aut essentiam qualem qualem earum, aut passiones seu communes, seu proprias cum praecisione ab existentia positivae, siue affirmativae tribuimus; ut cum de chymera resultant ex homine, & equo identificatis dicimus, esse hominem equum, esse rationalem, esse risibilem, esse impossibilem, &c. & de similibus pariter.

249 Tercio ad statum quiditativum absolutum, realem, & negativum nullae veritates pertinent obiectivae; nullaeque subinde datur huiusmodi status realis. Nam ut veritas negativa existentialis absoluta, & realis ea solum est, quae ab statu existentiali positivum absoluto, & reali vnaquaeque res, quae non existit realiter, remouetur, iuxta dicta proposit. 1. ita veritas negativa quiditativa absoluta, & realis ea solum deberet esse, quae ab statu quiditativo positivum absoluto, & reali vnaquaeque res remoueretur, quae realiter, & absolute non esset de suo id, quod realiter, & absolute de suo quiditativum est. Cumque de nulla re possit esse verum, non esse eam realiter, & absolute de suo id, quod realiter, & absolute de suo quiditativum est, ut est notum; tamen sunt multae, de quibus est verum, eas realiter, & absolute in rerum naturam non existere: ideo nulla datur veritas negativa quiditativa absoluta, & realis; subindeque nullus datur status negativus quiditativus realis, & absolutus rerum; tamen dantur multae veritates negativae existenciales absolutae, & reales; subindeque est status negativus existentialis realis, & absolutus, ad quem illae pertinent, ut vidimus propositio 1.

250 Dices. Veritas haec: Petrus non est lapis, & similes quiditativae sunt, & negativae: igitur falsa est doctrina num. praeced. Resp. Obiectum hoc: Petrus non est lapis, & similia vera quidem esse quiditativa, non tamen a veritate negativa, quam in se continent realiter; sed a veritate positivae, quam in hoc: Petrus distinguitur a lapide, & in similibus, quibus aequivalent, supponunt. Obiectum quippe: Petrus non est lapis, & similia, ut sonant, non sunt negativae iudicabilia a cognoscentibus per proprias species; sed tantum a cognoscentibus per alienas: quia identitas extremorum re ipsa distinctorum, quam remouet, ab his dumtaxat, non vero ab illis est conceptibilis, iuxta dicta superius. 1. Unde talia obiecta veritatem negativam in se non continent realiter, iuxta dicta superius. 3. aequae ita ad statum aliquem quiditativum realem negativum, & absolutum non pertinent; sed tantum ad suppositivum, iuxta dicenda postmodum. Cum tamen alia obiecta

Disp. X. De variis statibus rerum. Quæst. IV. 253

cta in se vera, à quibus illa suam veritatem trahunt, ad statum quiditativum realem pertineant non negatiuum; sed positiuum. De quo *num. 247.*

251 Dices secundò. Quoties actus subiecto impossibilis à cognocentibus per species proprias est conceptibilis, ut sæpe euenit, iuxta dicenda *disputatione* 11. ab eisdem negabilis subiecto videtur cum necessaria veritate ab existentia præciscende. Erit igitur talis veritas quiditativa negatiua, & realis iuxta doctrinam suppositionis tertiæ. Tales esse videntur istæ: *Ignis de suo non frigidat: Frigus calefacit: Deus non peccat*; & similes. Respondeo. Huiusmodi veritates sumptæ cum præcissione ab existentia, quo solummodo pertinent ad statum quiditativum, respectu nostri dumtaxat; atque adeo supposititium esse negatiuas; re tamen ipsâ, & respectu cognoscituum per proprias species positiuas esse. Quia ab his non est iudicabilis actus repugnans subiecto (sicuti est à nobis) iudicio negatiuo remouente illum à subiecto intra statum quiditativum; sed tantum iudicio affirmatiuo inspiciente in illo repugnantiam cum ipso identificatam, quam habet de suo cum subiecto: atque ita veritas quiditativa, quam talis actus habet re ipsâ respectu ad tale subiectum, non negatiua, sed positiua est.

252 Hinc quartò. Ad statum quiditativum absolutum supposititium, & negatiuum obiecta illa negatiua, & necessariò vera pertinent, de quibus in duobus numeris præcedentibus dictum est, & cætera eiusmodi.

Propositio 3.

253 Ad statum rerum existentialem conditionatum multæ obiectiuæ veritates, multæque obiecta vera in se pertinent; necnon alia quedam, quæ per æquivalentiâ, aut aliter, quàm à veritate propria vera cæsentur.

Loquor de statu existentialem conditionato complectente, tum realem, tum supposititium, tum positiuum, tum negatiuum, tum necessarium, tum contingentem, tum de futuro, tum de presenti, tum de præterito. De quibus eodem pacto philosophandum est, proportionem seruata, ac de statibus existentialem absolutis *propositi. 1.* philosophari sumus; quantum ad ea, quæ ibi sunt dicta, & utriusque communia sunt; additis tamen quibusdam aliis ad hos spectantibus speciatim.

Prænotandum tamen est breuiter: cum veritas, seu potius propositio obiectiua conditionata ex conditione, & conditionato coalescat, prout dictum est *quæst. 2.* ex horum duorum multiplici comparatione multiplicem posse illam imprimis subire diuisionem. Primò enim conditio, & conditionatum aut inter se connexa, aut inter se opposita, aut aliter inter se relata esse possunt; idque vel mutuo, vel non mutuo. Connexio autem eorum, & oppositio, aut metaphysica, aut physica, aut moralis esse potest, iuxta horum diuisionem non semel in *superioribus* tactam, tradendamque ex professo *infra disp. 14.* Secundò fieri potest, ut conditio in conditionatum influat, vel vice versa; aut tanquam causa, aut tanquam conditio cauandæ, idque in quolibet causarum genere. Tertiò conditio, & conditionatum, omnibus numeratis respectibus connexionis, oppositionis, relationis, & influxus carere possunt; quo casu solum quoad coniunctionem comparantur. Quartò denique innumeris propemodum modis conditio, & conditionatum comparanda veniunt; si omnis mixtio, omnisve combinatio possibilis ex prædictis terminis fiat, ut ab vnoquoque

fieri poterit per regulas combinandi à nobis tradendas *inferius disp. 29.*

Hinc propositio conditionata tum obiectiua, tum formalis ei correspondens celebri diuisione diuiditur in illatiuam causalem, & purè coniunctiuam. Illatiua dicitur, quando conditio connectitur cum conditionato. Causalis, quando conditio influit in conditionatum; & purè coniunctiua, quando conditio neque connectitur cum conditionato, neque in illud influit, quo casu talis conditio disparata solet vocari. Quomodo autem propositio conditionata veritatem habere possit non solum quando est illatiua, sed etiam quando citra illationem aut causalem, aut purè coniunctiuam est, contra aliquos sentientes oppositum, demonstrandum à nobis est in *Tract. de scient.* Deinde propositio conditionata, eiusque veritas celebri etiam diuisione diuiditur in necessariam, & contingentem (puta necessitate, & contingentia similiter conditionata, siue ex hypothesi conditionis.) Necessaria est, quando conditio connexa est cum conditionato, Quare eius necessitas talis erit, qualis ea connexio, aut metaphysica videlicet, aut physica, aut moralis. Contingens autem est, quando conditio connexa non est cum conditionato, unde omnis necessaria illatiua est, & è contra. Contingens verò aut causalis, aut purè coniunctiua esse potest; cum tamen causalis, & necessaria possit esse, & contingens. At purè coniunctiua neque illatiua, seu necessaria, neque causalis esse potest. Præterea propositio conditionata obiectiua in impossibilem, & possibilem (puta ex hypothesi) diuidi potest. Erit enim impossibilis, quando conditio opposita fuerit conditionato: Cuius proinde impossibilitas talis, qualis ea oppositio erit. Possibilis autem quando conditio conditionato non fuerit opposita. Porro, omnis propositio conditionata necessaria contradictoriam habet impossibilem; & omnis impossibilis contradictoriam habet necessariam; & omnis contingentens contradictoriam contingentem, ut constat. Et quoniam nulla impossibilis est vera, conficitur, omnem veritatem conditionatam, aut necessariam, aut contingentem debere necessariò esse. Quæ duo membra sub aliis tribus illatiuæ causalis, & purè coniunctiuæ, contineri constat ex dictis. De quibus omnibus plura dicenda sunt in *Tract. de scientia.* Hæc satis modò.

Quibus suppositis, dicendum sequitur. Primò ad statum existentialem realem conditionatum, & positiuum pertinere omnes veritates existentiales reales conditionatas, & positiuas: quemadmodum ad statum absolutum in reliquis similem, veritates absolutæ in reliquis similes pertinent, iuxta dicta *num. 235.* Secundò ad statum existentialem realem conditionatum, & negatiuum pertinere omnes veritates similium rationum; sicut ad absolutum in reliquis similem pertinent absolutæ, iuxta dicta *num. 236.* Tertiò ad statum conditionatum existentialem suppositiuum, & positiuum pertinere omnes veritates conditionatas re ipsâ negatiuas; sed à nobis positiuè conceptas, ut ad similem absolutum pertinent similes absolutæ, iuxta dicta *num. 137.* Quemadmodum quartò ad statum existentialem conditionatum suppositiuum, & negatiuum pertinent negationes conditionatæ chimerarum à nobis solum per species alienas conceptibilium, vti ad simile absolutum pertinet absolutæ, iuxta dicta *ibid.* Adde, ad alium statum existentialem conditionatum suppositiuum & positiuum pertinere quintò existentias conditionatæ veras dictarum, chimerarum per species tantum alienas conceptibilium, utpote, quæ non

non à veritate propria, sed à veritate aliunde tracta
veræ sunt, vt ex dictis in *superioribus* constat.

- 257 Quas omnes veritates seu illatiue, seu, causales seu
pure cōiunctiua sint; atque adeo seu necessariae, seu
contingentes; tum de futuro, tum de presenti, tum de
præterito posse esse ex dictis etiam colligitur. Quo-
modo autem quando res est sub conditione exi-
stens in vno tempore, & non in aliis non possit in
his non dari sub tali conditione negatio eius, ex di-
ctis a n. 239. venit aperte colligendum. Siquidem
de existentia, & non existentia conditionata rerum,
perinde ac absolutâ, quod ad rem atinet, philo-
sophandum venit, vt constat.

Propositio 4.

- 258 Ad statum rerum quiditativum conditionatum
multæ obiectiue veritates, multæ obiecta vera
in se pertinent; necnon alia quædam, quæ aliter,
quàm à veritate propriâ vera censentur.

Loquor hic etiam de statu quiditativum conditio-
nato complectente realem, & suppositivum, po-
sitivum, & negativum tum obiectorum impossibili-
um, tum possibilium. Et suppositivum diuisionibus
propositionum conditionalium factis *proposit.* 3.
quæ ex parte hic etiam habent locum, probo pro-
positionem breuiter discurrendo per singulos di-
ctos status, & unicuique assignando sua obiecta
consentaneæ ad doctrinam datam in simili *proposit.*
2. de pertinentibus ad statum rerum quiditativum
absolutum.

- 259 Primò enim ad statum quiditativum conditio-
natum positivum, & realem pertinent omnes ve-
ritates, vbi cum præcisione ab existentia conditio-
natè tribuuntur rebus positivis earum essentia,
aut passionis; siue tales res sint possibiles, siue
earum impossibile, quæ in se, & per proprias
species sunt conceptibiles, iuxta dicta in simili
de statu absoluto *num.* 247. Secundo ad statum
quiditativum conditionatum positivum, & suppo-
sitivum illa obiecta conditionata pertinent, quæ
cum necessariò sint vera cum præcisione ab exi-
stentia, in se tamè non sunt conceptibilia; sed tantum
in substitutis alienis, iuxta dicta in simili de statu ab-
solutò *n.* 248. Tertiò ad statum quiditativum con-
ditionatū negativum & reale illæ negatiue verita-
tes pertinere videntur, vbi de vnaquaque re sub ali-
quâ conditione impossibili verè negatur id, quod
quiditatiue est, vt in his: *Si Petrus non esset homo,*
non esset rationalis: Si Petrus non esset homo, esset,
& simul non esset homo; in aliisque similibus.
Quoniam enim de nulla re possit negari verè ab-
solutè esse id, quod quiditatiue est, nullusque
subinde detur status realis verus quiditativus ne-
gativus, & absolutus, vt *n.* 249. statuimus; sub
conditione tamen impossibili sæpe negari verè
potest; idque non solum à nobis, quod est certum;
sed etiam, vt mihi videtur à cognoscentibus per
propriam speciem, Quocirca huiusmodi statum qui-
ditativum conditionatum realem, & negativum
censéo adstruendum. Etenim, vt potest etiam per
propriam speciem negari existentia rei absolute, &
conditionatè, vt constat ex dictis, poterit utique ne-
gari etiam quiditas rei saltè conditionatè; siquidem
existentia rei non minus, quam quiditas realiter est
prorsus idem cum ipsa re. Quarto denique, ad sta-
tum quiditativum conditionatum negativum, &
suppositivum ea omnia obiecta pertinere dicenda
sunt, vbi aliquis conceptus interuenit per solas spe-
cies alienas, non item per proprias conceptibiles,
iuxta dicta de simili statu absoluto *n.* 252.

Propositio 5.

Ad statum rerum disiunctivum plurimæ obiecti-
uæ veritates, seu plurima obiecta aut in se, aut aliunde
vera pertinent.

Imprimis enim pertinent obiecta in se vera, quæ
æquialenter tantum sunt disiunctiua. Deinde
pertinent obiecta disiunctiua formaliter, quæ à ve-
ritate determinatâ verificatiui, quod vnumquod-
que eorum supponit, enadunt vera, vt multis expli-
catum est supra *q.* 2. Præterea, quot sunt genera di-
uerla obiectorum quoquo modo verorum ad cæte-
ros omnes status spectantia, iuxta dicta in totâ hac
quæstione totidem, & multò plura sunt spectantia
ad statum disiunctivum, quatenus in omnibus singul-
latim formari possunt obiecta disiunctiua, insuper-
que in eorum infinitis infinitis mixtionibus nulla
quippe est excogitabilis pluralitas obiectorum quo-
quo modo verorum, aut quorū vnum saltem sit ve-
rum, siue ad eundem statum, siue ad diuersos perti-
nentium, omnibus eorum combinationibus, seu
collectionibus infinitis factis, quæ disiunctiue non
possit concipi saltem à nobis, & quæ subinde
non constituat obiectum disiunctivum formaliter,
illudque verum à veritate determinatâ alicuius
saltem ex extremis, ex quibus coalescit. Plurima
etiam huiusmodi pluralitatum, seu collectionum
veritatem insuper habebunt æquialenter disiun-
ctiuam, & re verè determinatam, conditionatam-
que, atque adeo ab iis etiam, quæ per proprias
species cognoscunt scibilem, seu iudicabilem, iux-
ta doctrinam statutam dictâ *q.* 2. Ex quibus ap-
paret, quàm latè pateat multitudo veritatum ob-
iectiuarum, siue obiectorum quoquo modo disiun-
ctiue verorum ad statum disiunctivum pertinen-
tium, prout in *proposit.* dicimus. In quibus minu-
tiis exponendis non oportet morari.

Adnotare tamen oportet ad extremum huius
quæstionis primò: inter propositiones obiecti-
uæ conditionatas, quædam esse purè existentiales, quæ-
dam purè quiditatiuas, & quædam mixtas. Tum
quædam esse purè affirmatiuas, seu positivias, quæ-
dam purè negatiuas, & quædam mixtas. Purè exi-
stentiales appello eas, quarum conditio, & conditio-
natum secundum esse existentiale considerantur, seu
accipiuntur. Purè autem quiditatiuas, quarum con-
ditio, & conditionatum accipiuntur secundum esse
quiditativum; & mixtas, quarum conditio accipit-
tur quiditatiue, & conditionatum existentialiter;
vel vice versâ. Similiter purè positivias dico eas,
quarum ambæ partes, scilicet conditio, & condi-
tionatum sunt positivæ. Purè autem negatiuas, qua-
rum ambæ partes sunt negatiuæ; & mixtas, quarum
alterutra parspositiua, residuaque negatiua est.
Quoniam verò potissima pars propositionis condi-
tionatæ conditionatum est, vtpote, quod directè
terminat iudicium, directèque subinde dicitur ve-
rum, aut falsum: à modo essendi, vel non essendi
conditionati tota propositio conditionata denomi-
nari solet; quidquid sit de modo essendi, vel non es-
sendi conditionis. Itaque, quoties conditionatum est
existentiale, aut quiditativum, aut positivum, aut ne-
gativum, tota propositio conditionata venit dicen-
da existentialis, aut quiditatiua, aut negatiua, quid-
quid sit de eius conditione. Ob id in superioribus
sub propositione conditionatâ existentiali, tum purè
existentialem, tum mixtam ex conditionato existen-
tiali, & conditione quiditatiuâ comprehendî: & sub
quiditatiuâ puram, & mixtam ex conditionato qui-
ditatiuo, & conditione existentiali, & sub positivâ
puram,

Disp. X. De variis statibus rerum. Quæst. V. 265

puram, & mixtam ex conditionato positio & conditione negatiua. Denique sub negatiua puram, & mixtam vice versa. Quo etiam pacto de statibus, ad quos tales propositiones pertinent loquutus sum.

²⁶² Secundò adnotandum est, inter propositiones etiam obiectiuas disiunctiuas quasdam similiter esse purè existentiales, quasdam purè quiditatuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè positiuas, quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè absolutas, quasdam purè conditionatas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè de futuro, quasdam purè de presenti, quasdam purè de præterito, & quasdam mixtas; tum eiusmodi mixtiones innumeris propemodum modis variari posse omni dictorum terminorum combinatione factâ; cum enim omnis propositio disiunctiua ex duobus saltem, ex pluribusque in quouis numero extremis disiunctionis possit coalescere, consequens est, ut vnum, aut plura talium extremorum vnus dictorum generum, aut etiam plurium eorum esse possint; alterum autem, aut plura reliqua alterius similiter talium generum, aut etiam plurium. Idque omni combinatione, omnique omnino mixtione possibili factâ, ut constat.

²⁶³ Tertiò adnotandum est tibi solum habere locum status de futuro, de presenti, & de præterito; ubi seu positio, seu negatio agit de existentia rerum, aut iudicando absolute, aut iudicando conditionatè, aut ponendo in hypothesi, aut aliter quouo modo apprehendendo, seu concipiendo illam; non item ubi agit de sola quiditate rerum, quouis ex dictis; hæc namque præcinit ab existentia, atque aded etiam à tempore, à quo illa statuum differentia sumuntur: prout alibi diximus.

²⁶⁴ Quartò adnotandum est: licet status rerum, de quibus, in tota hac disp. tractamus, à veritatibus obiectiuis, siue obiectis veris, quæ ad ipsos diximus pertinere, re ipsa distincti non sint, ut sub initium quæstionis primæ, & sæpè alibi statuiamus; eos tamen concipi à nobis instar quarundam capacitarum, ubi eiusmodi veritates, siue obiecta vera suum locum, aut sedem habent. Ad eum ferè modum, quo spatium locale à præsentis rerum possibilibus re ipsa indistinctum, instar cuiusdam capacitatis vndeque extensæ imaginatur, in quâ res cunctæ collocantur; ob idque imaginariū dicitur.

²⁶⁵ Quintò adnotandum est: quot sunt status rerum veri in superioribus explicati cum veritatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa; ad quos eadem veritates pertinere dicuntur, totidem posse, imò, & debere considerari status rerum falsi cum falsitatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa, ad quos eadem falsitates pertinere dicuntur. Ut enim, existente Petro, veritas hæc: *Petrus existit*, pertinet ad statum existentialem absolutum, & verum; ita non existente Ioanne falsitas hæc: *Ioannes existit*, ad statum existentialem absolutum, & falsum pertinere dicenda est. Et, ut hæc: *Petrus est homo*, ad statum quiditatuū absolutum, & verum, ita hæc: *Petrus est Angelus* ad statum quiditatuū, absolutum, & falsum; & ut hæc ad status conditionatos veros: *Si quid fuerit homo, erit risibile*: *Si extiterit ienis, existet calor*; ita hæc ad status conditionatos falsos: *Si quid fuerit Angelus, erit corpus*: *Si Petrus extiterit cras in peccato, eras existet in gratia*. Pariterque dicendum venit de cæteris.

²⁶⁶ Sextò adnotandum est: primam, potissimam, omnique notabilissimam differentiam scientiarum

Pharus Scient. Tom. I.

humanarum ex differentia status quiditatiui, & existentialis scibilium rerum desumi. Scientia enim, quæ de rebus agit secundum esse, quod illæ habent intra statum quiditatuū, quam ego vniuersæ Metaphysicæ dico, pro principiis habet notiones vniuersales, quæ primas, seu immediatas rerum proprietates notificant. Scientia verò, quæ de rebus secundum esse quod illæ habent in statu existentiali, quam ego vniuersæ appello Physicæ, pro principiis habet experimenta singularia, quæ sub sensum, atque aded sub experientiam cadunt. Vnde prima de vnaquaque re agit quoad quid est; secunda verò quoad an est. Prima pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum necessariò est subiecto annexum ob connexionem necessariam, quam hoc habet cum illo; secunda verò pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum accidentarium, contingensque subiecto est: atque aded prima de veritatibus necessariis; secunda de contingentibus iudicat, aliasque differentias habent, de quibus vberius agemus *disputatione 21. & 22.*

QVÆSTIO V.

Quænam propositiones evidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

Dico elici, quæ sequuntur.

Propositio I.

Status existentialis absolutus, & positiuus in rebus creatis metaphysicè connexus est cum statu quiditatiuo; sed non è conuerso.

Quia impossibile est, ut aliqua res absolutam existentiam habeat, quin habeat quiditatem, & passionem annexam quiditati: bene tamen fieri potest, saepeque fit, ut habeat de suo quiditatem, & passionem quiditati annexas, quin habeat existentiam, ut est notissimum.

Ex hac propositione sequitur primò propter inuersam connexionem contradictoriorum extremorum, statum quiditatuū absolutum, & negatiuum, quæ ratione ille datur, iuxta dicta *quæst. 4. proposit. 4.* cum existentiali absoluto, & negatiuo connexus esse metaphysicè; non tamen vice versa: quia necesse est, ut quod non habet quiditatem, non habeat existentiam. Tum ut, quod quiditatiue non est quidpiam, nec sit id ipsum existentialem; cum tamen bene fieri possit, ut quod non habet existentiam, quiditatem habeat. Tum, ut, quod existentialem non est quidpiam, id ipsum sit nihilominus quiditatiue; ut satis constat.

Secundò sequitur, ab statu existentiali absoluto ad quiditatuū absolutum bene affirmatiue, secus à quiditatiuo ad existentialem: negatiue verò è conuerso ab statu quiditatiuo bene argui ad existentialem absolutum; secus ab existentiali ad quiditatuū.

Restrinxi autem propositionem ad res creatas: quia in Deo status quiditatiuus, & existentialis absolutus mutuo connexi sunt metaphysicè, eò quod essentia diuina cum sua absoluta existentia metaphysicè connexa, est ut est notissimum.

Z

Præf.